



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De iuramento: & quòd perniciosà & præpostera iuramenta præstanda non
sint. cap. vi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

D. IOANN. DAMASCENI

cipes Iuda occidit in Reblatha. Et oculos Sedeciae eruit, & vinxit eum compedibus, & adduxit eum in Babylonem: & posuit eum in domo carceris vsque ad diem mortis eius.

De peregrinitate: & quod fiducia careat peregrinus.

CAP. V.

Gen. 19. **D**I X E R V N T viri Sodomae ad Loth: Ingressus es vt aduena: nunquid vt iudices?

Pro. 27. Sicut auis transmigrans de nido suo: sic homo seruitute premitur, cum a loco suo peregrinatur.

Ecli. 34. Vir, qui peregrinatus est, & oberrauit, cognouit multa. Et rursus: Qui oberrauit, multiplicat fraudem. Multa vidi in oberratione mea: & maior est sermonibus meis intelligentia mea.

De iuramento: & quod perniciofa & prapostera iuramenta praestanda non sint.

CAP. VI.

1. Reg. 14. **D**I X I T Saul ad Ionatham, Indica mihi quid feceris. Et indicauit ei Ionathas, & ait, Gustans gustavi in summitate virgae, quae H erat in manu mea, paululum mellis, & ecce ego morior! Et ait Saul: Hae faciat mihi Deus, & haec addat, quia morte morieris Ionatha. Dixitque populus ad Saul, Ergone Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? Hoc nefas est. Liberavit ergo populus Ionatham, vt non moreretur.

Hier. 38. Et dixit rex Sedecias ad Hieremiam: Sollicitus sum propter Iudaeos, qui transfugerunt ad Chaldaeos: ne forte tradar in manus eorum, & illudat mihi. Respondit autem Ieremias, Non te tradent. Audi, quae so, vocem Domini, & bene erit tibi, & viuet anima tua.

Mat. 14. Die natalis Herodis saltauit filia Herodiadis in medio: & placuit Herodi. Vnde cum iuramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo. At illa pramonita a matre sua, Da mihi hinc, inquit, in disco caput Ioannis Baptistae. Et dedit ei.

Scholium Damaf. *Satius erat Herodi iusuradum interpositum violare, quam Prophetae caput amputare.*

De pupillis, & pauperibus, ac viduis.

CAP. VII.

Exod. 22. **V**I D V A E & pupillo non nocebitis. Si laeseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt vxores vestrae viduae, & filij vestri pupilli.

Iob. 29. Os viduae benedicebat me. Pupillo, cui non erat adiutor, opem ferebam.

Deut. 24. Non accipies loco pignoris viduae vestimentum.

Psal. 67. Pater orphanorum, & iudex viduarum.

Pro. 23. Agrum pupillorum ne intro eas: qui enim liberat eos, fortis est: & ipse iudicabit contra te causam illorum.

Pro eo quod iniuriam inferebant paruulis, interficientur.

Zach. 7. Viduam, & pupillum, & aduenam, & pauperem nolite opprimere.

Ecli. 4. Esto pupillis misericors vt pater, & pro viro matri illorum: & eris tu filius